



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputatio De Statv In Qvo Sint Beatorvm Animae Post
Hanc uitam, ante ultimi iudicij diem**

Dévay Biró, Mátyás

[Nürnberg], [1537]

VD16 D 1300

Condem. Censvrae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34195

lustis, quibus satis est meritum Christi, excludimus, non
Monachis & hypocritis, qui non alieno sed proprio uolunt
saluari merito, quod est illud, de quo Augustinus in prolo- *Augustinus*
go Psalm. 31. Si quod debetur istis operibus Deus redderet,
utique damneret, non tibi Deus reddit debitam poenam, sed
donat indebitam gratiam.

PROPOSITIO XXXII.

OMnia opera infidelium & peccatorum sunt peccata.

CENSURA.

Vtinam calidus esses aut frigidus &c.

CONDEM. CENSURAE.

IN hac propositione Dialecticum agit Frater, & me uult
esse uel calidum uel frigidum. Proximo inquit male uelle
se, apud infidelem est peccatum, ergo bene uelle non est pec-
catum, hoc sequitur, ait, per consequentiam, in ipso termino-
rum inoppositis contradictorijs, quā nullus qui Logicam
uel a limine salutauit abnegabit. Hæc Frater, & alia nuga-
tur inepte. Non lusit operam in Logica meus Doctorculus
quam arbitram uult esse ueritatis. Sed cum secundum Aus-
gustinū Dialectica sit definiendi, diuidendi, argumentandi
scientia, auricula asini (ut ipsius uerbis utar) palam erit, quod
male diuidat inter opera fidelium, & infidelium: Male uelle
est peccatū, igitur bene uelle non est peccatū. Homo argu-
tus forte Hieronymum sequutus est, qui & ipse pari enthia-
smate utitur: Bonū est non tangere mulierem, igitur &c.
Sed duplices sunt peccatores, Qui nō credunt in Christum,

o 3 talium

talium opera sunt peccatum. Rom. 14. Quicquid non est ex fide, peccatum est. Qui credunt in Christum, etsi natura peccatores sint, tamen gratia, electione, adoptione iusti sunt, fide absorbentur eorum peccata. Ioannes: Qui natus est ex Deo non peccat &c. Ignorat doctor quid sit ciuilitate esse bonum, iustum, & Euangelice. Ethnicorum multi fuerunt iusti, ciuili, ac humana iustitia, sed fidei expertes in Christum perierunt, & Fratri non succurrit Dialecticorum regula, quod communiora uocabula prius sint diuidenda, quam definienda, alia est uoluntas piorum, alia impiorum, inter quos fides discernit. Sequitur ergo, qd hac consequentia ut est absurda, & doctore Parisiensi digna, ita est intempestiua, antecedens uerum est, sed consequentia falsa, quia non quodlibet bene uelle est iusticia coram Deo, etiam si sit coram hominibus, cetera quae ineptit, nihil ad rem faciunt.

PROPOSITIO XXXIII.

Nihil discriminis est inter Christianos apud Deum.

CENSURA.

Iste balbutit in hac parte.

CONDEM. CENSURAE.

Mira subtilitate suam ornat censuram hic Frater, & ne scio quae superuacanea persequitur, sed ignorat quid persona significet in scripturis. Nego prosopopoeian & personarum doctrinam, in externis actionibus & donis non iustificatibus. Magna est doctrina, ut probatum est in apologia, sed fide omnes pares sumus, & non moratur Deus, aeternum, condi-